



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno Christi 1000. Usque Ad Annum 1063

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1761

VD18 90117956

§. 15. Heriveus Thesauro Ecclesiæ Turonensis Præfectus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66323](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66323)

Sæculum XI. A.C. 1004. pus Quadragesimæ celebrari expediret, & aliqui arbitrabantur, illud Festum ad decimam octavam Decembris more Hispanorum esse transferendum. Sed vicit antiqua consuetudo.

Glab. III. *c. 4.* Hoc Sæculo undecimo ineunte Ecclesiæ, præsertim in Italia & Gallia, reparabantur, quamvis id plerisque non esset necessarium. Sed æmulatione populos urente, in sua patria elegantiora quam uspiam alibi templa reperiri jactabant. Ergo omnes Ecclesiæ Cathedrales, Monasteria, quin etiam parva Sacella restaurantur. Inter alias etiam Ecclesia S. Martini Turonensis diruta, & cura Herivei thesauro præfecti iterum magnificentius excitata.

§. XV.

Heriveus Thesauro Ecclesiæ Turonensis Præfectus.

Glab. ibid. **H**eriveus ex primis Francorum stirpibus natus, cum artibus liberalibus operam dare cœpisset, vehementiore Salutis suæ desiderio accensus clam monasterium ingressus est. Monachi vero, quod nobilium Consanguineorum iram formidarent, eum recipere non ausi, promiserunt, se ipsi futuro tempore Habitum duros, ubi voluntas parentum non obstitisset. Herivei Parens, comperto,

perto, quo confugisset, ad monasterium Sæculum XI.
 furore ardens contendit, & acriter ob- A.C 1004.
 jurgatum ad Palatium Roberti Regis
 invitum deducit, rogans Principem, ut
 Regia beneficia promitteret, atque filium
 a proposito revocaret. At econtra pius
 Rex collaudatum juvenem ad perseve-
 randum hortatus, thesauro S. Martini
 Turonensis præfecit, eundem ad Episco-
 patum evecturus. Pluribusque deinde
 Ecclesiis vacantibus Rex Heriveum Epi-
 scopum dare voluit, sed ille Sacerdota-
 lem honorem accipere constanter recu-
 savit.

Quin etiam Heriveus vix permoveri
 potuit, ut officium Ærario præfecti in se
 reciperet; nam quamvis habitu Cano-
 nicorum candido incederet, Instituto
 tamen monastico, ut poterat, inhære-
 bat. Cilicium carni admotum gere-
 bat, semper jejunabat, vigilabat, orabat-
 que assidue, & largiter eleemosynas
 spargebat. Tandem animo constituit
 S. Martini Ecclesiam majore & augustio-
 re forma ædificare, cumque a fundamen-
 tis cœpisset opus sumptuosissimum usque
 ad fastigium consummavit. Complures
 re perfecta invitavit Episcopos ad Eccle-
 siam suam dedicandam, atque aliquot
 diebus Solemnem Ritum præcedentibus
 Deum orasse fertur, ut aliqua miracula,
 qualia superiore tempore in Dedicatione
 Eccle-

Sæculum XI. Ecclesiarum facta legerentur, patraret,
A.C. 1004. porro inter has preces in terram prostra-
 to conspicuum se obtulisse S. Martinus,
 eique dixisse. *Fili mi, his majora a Deo*
impetrare valeres; sed præteritorum
Sæculorum miracula sufficere debent huic
ætati, cui Mundi finis non dubitatur esse
propinquus. Nihil petendum, nisi ani-
marum Salus. Et ego quidem pro Salute
omnium orare non cessō, præsertim illo-
rum, qui huic Ecclesiæ serviunt. Dedi-
catio Ecclesiæ, quæ hodieque existit, in
 Festo Translationis S. Martini, quarta
 Julii, peracta.

Heriveus exinde Cellulæ prope Ec-
 clesiam se se addixit, rigorem vitæ au-
 gens & orationi jugiter intentus. Annis
 quatuor elapsis, mortis suæ præscius in
 morbum incidit, cumque complures ad
 ægrotantem inviserent, credentes, ipso
 defuncto, Cælum prodigia esse editu-
 rum, ait; nullum certissime eos visuros
 miraculum, sed abjecta hac spe, Deum
 pro se orarent. Ita anno 1024. sancto
 fine quievit.

§. XVI.

Ecclesia Lochiensis.

Fulco Comes Andegavenſis, inferni
 poenas metuens, quod multum san-
 guinis humani in variis præliis fudiſſet,
 Glab. 1. II. Jerosolymam peregrinatus, ubi rediit,
 c. 4. animo